



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Caovt X. De sacramento nostræ liberationis, ac primùm cur ad hominem liberandum iustitiæ ratione potiùs quàm solius ostensione virtutis omnipotens Deus vsus sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

otiri super bonos & malos, nisi vt eius exemplo nostros diligamus inimicos? Veruntamen natura hominis Christi, nostræ naturæ dissimilis non fuit, sed vitio nostro dissimilis fuit. Ille quippe sine vitio natus est homo, quod hominum nemo. Quantum autem ad vitam pertinet, qua Christum debemus imitari; hoc quoque ad distantiam plurimum valet, quòd vnusquique nostrum homo est, ille autem etiam Deus. Neque enim tantum potest iustus homo esse, qui homo est; quantum homo, qui & Deus est. Sic Augustinus. Non igitur exemplo suo vitia domare docuit, vitiis quibus ipse laboraret resistendo, sed nostris vitiis desiderijs contraria & faciendo & patiando.

CAPVT X.

De sacramento nostræ liberationis, ac primùm cur ad hominem liberandum iustitiæ ratione potius quàm solius ostensione virtutis omnipotens Deus vsus sit.

VT verò iam exempli vtilitate tractata, ad Sacramenti considerationem veniamus, tenendum illud in primis est: variis atque innumeris omnino modis, quos humanæ mentis non capit angustia, abiecto in turpissimam seruitutem generi nostro, succurrere Deum Optimũ Maximum potuisse. Namque vel iustione sola nutuque potentissimæ voluntatis, iugum antiquæ seruitutis excussisset, & inueteratam carnis vetustatem demolitus esset, atque deleuisset, si id visum fuisset sapientiæ eius. An qui hominem initio fecerat rectũ, suoque spiritu ad iustè sapienterque viuendum ornaauerat, non potuisset puncto temporis, vel deprauatissimũ suo vitio, reformare atque instaurare? Non principem tenebrarũ foras eijcere, & eius in miserum captiuum confringere vires, malitiãque coërcere, protinus potuisset, si libuisset? Verũm cùm sola suæ diuinitatis virtute diabolũ vincere, & hominem peccatorem

Lib. 13. de
Trinit. c. 13.

catorem eruere ex illius posset faucibus: maluit iustitiam viam ingredi, eaque ratione vicisse videri. Idque totum propter nos, nostram in eo negotio spectans salutem & informationem. Vnde beatus Augustinus, Diabolus, inquit, non potentia Dei, sed iustitia superandus fuit. nam quid omnipotente potentius? aut cuius creaturæ potestas, potestati creatoris comparari potest? Sed cum in diabolus vitio peruersitatis suæ factus sit amator potentiam, & desertor oppugnatorque iustitiam (sic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam perosa iustitia, potentiam student, eiusque vel adeptione latantur, vel inflammantur cupiditate) placuit Deo, ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed iustitia vinceretur: atque ita & homines imitantes Christum, iustitia quærent diabolum vincere, non potentia. non quod potentia quasi mali aliquid fugienda sit, sed ordo seruandus est, quo prior est iustitia. Sic & diuus Leo serm. 2. de Natiuitate: Verax, inquit, misericordia Dei cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter multa suppeteret, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli, non virtute vteretur potestati, sed ratione iustitiam. Et iterum: Omnipotentia filij Dei quæ per eandem essentiam equalis est Patri, potuisset humanum genus à dominatu diaboli, solo imperio suæ voluntatis eruere, nisi diuinis operibus maximè congruisset, ut nequitiam hostilis aduersitas, de eo quod vicerat, vinceretur: & per ipsam materiã naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captiuitas. Sic ille.

Serm. 14. de
passion. Dom.

CAPVT XI.

Quanam in re sita fuerit iustitiam ratio, qua Deus hominem in libertatem asseruit.

QUOD si quæras quanam in re sita sit iustitiam hæc ratio, qua restitutus homo est in pristinam libertatem: